

Doc. 20

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Doc. 20

[1259?]

Invitantur scolares ad studium.

Reverenda genetrix et magistra virtutum philosophia, diu neglecte vetustatis caliginibus obfuscata, quam inundatio cladum et rabies inflammata bellorum dominis decedentibus succedentes pridem in regno Sicilie suffocarunt et pacis naufragium pereunte concordia compulit exulare, ad nos ipso silentio suo clamat et invocat tacite nomen nostrum, quod ad relevandum ipsius tacentis lapsum nostre sibi potentie dexteram porrigamus, eius exilium nostri auxilii consilio revocantes. Nos igitur venerandam matrem ipsam, que sue cautele prudentia regit reges et fulcit perpetuo robore principatus, ardentem in statum pristinum suscitare ipsamque lune similitudine renovatam in redivivam lucem erigere sitientes, ut regnum ipsum iam scientiarum defectibus obscuratum peritis per eam viris nostris temporibus illustretur et fiat in hiis ceterorum regnorum speculum et lucerna, Virgilianam Neapolim urbem, ubi fuit antiquitus scientiarum abissus et pelagus poetice facultatis, restauratione studii providimus decorandam, quam terre marisque commerciis et rebus necessariis affluenter mandabimus impinguari, ubi tam doctores quam alii etiam auditores omni gaudere volumus privilegio libertatis, usibus, conditionibus et statutis, quibus per divum augustum dominum patrem nostrum ibidem hactenus utebantur; in aliis regni partibus eiusmodi studia, preter quam pro pueris, qui iacentes in cunabulis artis grammaticae suis uberibus lactabuntur, et in medicina Salerni, generaliter prohibentes.

Invitamus igitur vos, o devoti philosophie filii, quod ad eius larem hilariter veniatis. O viri sapientie studiosi,

ecce quam queritis in ianua reperitis. Philosophia quidem et sapientia sunt coniuncte, que velut due sorores se invicem amplexantes nullam recipiunt sectionem. O vos ergo, qui cupitis utriusque poculum aureum exhaurire, ad earum fontem irriguum properetis, ex cuius profluentia potus ebrietas sobria sequitur, non confusa, quia nec sensus deficiunt nec mentes dementes fiunt nec irrationabiles rationes, sed potius hec hominum illuminat animas, eorum aperit oculos et reddit de rudibus eruditos, ita quod facit eos cum angelis disputare. Hec est autem illa scientia, que diligentibus eam thesauros aperit et ad divitias pontem facit. Hec est illa scientia, que scalas erigit ad honores et gradaria construit ad fastigia dignitatum. Hec est illa scientia, que suscitans a terra inopem et erigens de stercore pauperem cum principibus eum locat. Quis igitur, nisi discretionis rectitudine qualibet destitutus, pretiosas sibi non comparet incomparabiles scientie margaritas? Tollite moras, tollite celeriter ad tanta gymnasia properantes: dive sapientie, que vobis apposuit mensam suam, nolite dulces delitias fastidire.

2

3

4

5

Cfr. il proemio delle *Costituzioni melfitane*, p. 147 della citata edizione curata da Stürner.

Cfr. il doc. 14.

Cfr. i docc. 19 e 24.

Cfr. *Ps.*, 112, 6. Simili affermazioni, comunque, si trovano anche nel doc. 14, di Corrado IV.

Cfr. il doc. 14.